



4

FACULTATIS MEDICAE
IN PERANTIQA VNIVERSITATE HIERANA
DECANVS
D. HERM. PAVLVS
IVCH

SACRI PALATII CAESAREI COMES
FACVLT. MEDICAE SENIOR ET PATHOLOGIAE ATQVE PRAXEOS PROF.
PVBLICVS ET ASSESSOR PRIMARIVS
SERENISS. SAX. DVC. GOTHAN. ET VINARIENSIS CONSILIARIVS
AVLICVS ET ARCHIATER
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA

L. B. S. D.

ET

DE BILIS DIGNITATE
ET PRAESTANTIA

EIVSQVE

IN CORPORE HVMANO ORGANO
SECRETORIO

PAVCVLA DISSERENS

AD DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

BILIS SECRETIONE

D. XVI. APRIL. A. C. HABENDAM

DECENTISSIME INVITAT.

ERFORDIAE

Typis Ioannis Christophori Heringii, Acad. Typogr.

FACULTATIS MEDICAE
IN PERANTIQVA UNIVERSITATE IBERIANA
DECANVS
D. HERM. PAVLVS
IVCH

MEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CARLOS. COLLEGI
SERENISS. SAX. DUC. SOTHEM. ET VINDOBON. CONSILIARIVS
TABORAE ET ASSERSOR. PRAGENSIS
BAGVET. MEDICAE. EMER. ET LATHINGORAE REGIVS. REGIVS. PROT.
SACRI. PALATI. CAESARII. COMITIS

L. A. D.

DE BILIS DIGNITATE
ET PRAESENTIA
IN CORPORE HVMANO ORGANO
SECRETORIO

AD DISSERTATIONEM INVOCATAM
TAVOLIA. DISSERTENS

DE
BILIS SECRETIONE

D. M. A. A. A. C. H. A. E. N. S. I. A. M.
DECENTISSIME INVITAT.

BRUNNEN

Typis Joannis Christophori Herzigii, Aesh. Typogr.



Q. D. B. V.

Ut humorum humano in corpore longe diversa est ratio & natura, sic dispari quoque ratione & dispari modo secernuntur. Varia enim, diversa & multa admodum sunt fluida secernenda, quorum alia utilia, alia excrementitia. Aliud fluidum secernitur nunc in majori, aliud tenuiori adfluentia; aliud nunc in omnibus, aliud in quibusdam modo subjectis; aliud perpetuo, aliud certo tantum tempore, & unum quodque suo definito modo separatur. Quæ quo clarius elucefcant, exempla quorundam supponam, assertumque simul confirmabo. Sudoris & urinæ separatio eum in finem a natura suscipitur, ut massa sanguinea a particulis impuris liberetur, & a repentina corruptione præservetur. Quod saliva tam ad alimenta in ore præparanda, quam ad organa loquelæ humectanda se-

cernatur, inter physiologicas veritates est fere notissima. Univerſum hinc collum circumſepit natura glandulis ſalivalibus, quod absque cibi aſſumptione vivere non poſſumus: cibus autem maſticari non poteſt, niſi antea ſufficienter imbibatur atque humectetur ſaliva, deglutitio nec impetrari, niſi œſophagi latera humectata, quod præſtat liquor œſophagi, qui vero in exigua quantitate ex vix perceptibilibus profluunt glandulis. Abſoluta neceſſitas poſtulat, ut chylus in tenuibus magis diluatur, in craſſis vero inſtintibus ulterius ſemper promoveantur ſcybala, & ad excretionem magis diſponantur: ne itaque inſtintuum lateribus aliquid adhæreat, omnium omnino corporum ea eſt conſtructio, ea naturalis diſpoſitio, ut lateant per univerſum canalem inſtintuum ſparſæ glandulæ, quæ Peyerum atque Brunnerum inventores agnoſcunt, liquidum hoc in cunctis hominibus, cujuſcunque ſint ætatis & ſexus, ſano ceteroqui corpore, per quam commode ſuppeditantes. Seminis contra elaboratio in ſubjectis tantum mediæ ætatis nobilioris ſexus contingit; & lac feminæ ſolum poſt excluſum fœtum in mammis generant. In abſcondito fit quorundam humorum ſecretio, aliorum oculis perſpicitur. Vix enim de liquore pericardii exiſtentia, aut lymphæ cerebrali quidquam explorato haberemus, niſi ſectionibus anatomicis id edoceremur luculentiffime: lacrymas contra & nobis & aliis præſilientes percipimus ipſi, coramque perſpicimus.

Omnes ſecretiones a ſapientiffimo creatore ordinatæ, ad determinatum ſcopum, omneſque ordine procedentes

cedentes in utilitatem corporis humani vergant: Nulla itaque turbanda, nulla vilipendenda, nulla anathemate prosequenda. De *bile* ejusque utilitate, necessitate & præ ceteris fluidis dignitate & excellentia quædam nobis differenda constituimus, idque eo magis, cum tam in maribus quam feminis, & in infantibus & juvenibus & senibus, in sanis non minus quam in ægrotis, quorum illos a morbis, hos a morte defendit, per quævis anni tempora, singulasque diei horas, assiduum & insignem afferat usum. Multi quidem sunt, qui bili maledicunt, eaque se ad iram incitados credunt, omnemque ex corpore exterminatam optant: sed ii modo sunt, qui sui impotentes, prava ex animi contentione, quacunque vel levissima causa iracundia exardescunt; qui si suos correxerint mores, iracundiamque cohibere didicerint, æquiorem & considerationem de bile sententiam pronuntiabunt. Per *bilem* denotari liquorem ex ductu choledochi in duodenum fluentem, vel in arte salutaris tyrones nequit latere. Dignitas præcipue ejusdem ex organo ejus secretorio, *hepate* nimirum, est perspicua, in quod considerationem impræsentiarum intendemus diligentiorum, ut bilis excellentia & utilitas eo magis suspiciatur omnibus. Istius vero organi id videtur probare *primo* situs, qui medium totius humani corporis occupat. *Secundo*, ejus magnitudo, qua omnia reliqua in corpore humano actionem secretoriam exercentia longe superat. *Tertio*, quantitas massæ sanguineæ, quæ singulis intestinis, cunctisque intimi ventris visceribus æquo & pari sustentandæ actioni continuæ affluxu sufficiebat, universa intrat hepatis

hepatis portas. *Quarto*, præcellentia nota videtur esse, quod reliquæ secretiones absque ambagibus a massa sanguinea fiant, sanguis vero secretioni bilis destinatus, in aliis prius magis adaptetur viscerum organis. *Quinto*, dum reliqua organa sanguinem residuum majoribus tantum venarum ramis reddunt, jecur sanguinem a secretionem bilis ut superfluum relictum, trunco venæ cavæ in confinia cordis infundit. *Sexto*, quando in adultis ventriculus cibum & potum digerit, antequam ad reliquorum viscerum nutritionem apta sunt, hepar in foetu hujus quasi vices suscipiens, sanguinem maternum ex funiculo per venam umbilicalem acceptum ad alimentum dispositum per ramificationes venæ cavæ, maxime vero per canalem venosum, reddit cordi. *Septimo*, cum in adultis ventriculi actio non solum solutione & motu, sed etiam calore absolvitur; hepar ventriculo incumbens, mereque vasculosum copiosum sanguinem transmittens, ingenti, quo pollet, caloris gradu stomachum fovet, ejusque actioni calore singulis momentis resuscitato succurrit, ut eo citius chymificatio absolvatur. Idem quoque præstat *nano* coli sustentatione: sectio enim anatomica demonstrat, crassum, quod in regione iliaca dextri lateris primordia capit intestinum colon, ad renem dextrum ascendere, & transversaliter sub hepate ad sinistram latus properare, ibique flarus, amplum hunc canalem distendentes, calore hepatis discuti, & ad exclusionem, naturali hoc topico medio melius disponi, quam optimo exhibitio carminativo, aut imposito sacculo paregorico; dubitans de hoc, victus dabit manus, considerans, locum, ubi

ubi cystis fellea colo imponitur, bilis] flavedine esse
tinctum. Et glandulæ, in quibus laudabilis lymphæ
secretio contingit, ut plurimum tali in loco se abscon-
dunt, ubi transeuntis sanguinis calorem mutuo acci-
pere possunt, uti ex thymo, inguinalibus, aliisque pa-
tet; *Decimo*, Virfungi pancreas hepatis velut calorem
invidens, ventriculi fundum antrorsum premendo,
venam portæ amplecti, posteriorique hepatis margini
appropinquare, caloremque hepatis suffurari videtur,
ut succi pancreatici secretio hoc cataplasmate promo-
veatur. Nullam *undecimo* absurditatem involuit asse-
rere, hepar ligamentis medianibus dextro, sinistro,
medio diaphragmati annexum, considerandum esse
tanquam pondus horologio cordis parti pericardii in-
feriori adpensum; aut esse quasi potentiam, embolum
diaphragmatis sua gravitate, ex pectoris cavo anthliam
pnevmaticam repræsentante, deorsum trahentem, &
sic organa ad actiones vitales necessaria in æquilibrio
servantem. Quid itaque mirum est, veteres hepatis
sanguificationis officium adscripsisse? Ipsa vero bilis
utilitate sua nobilitatem satis superque comprobat.
Chymo enim per pylorum intestinum duodenum in-
tranti ex cholidocho occurrit, eumque attenuat, parti-
bus oleosis aquosas admiscet, hasque intime uniendo
chylum perficit, de quo nostris anatomia florentissimis
temporibus multa proferre superfluum judico. Cum
vero in dubium vocari non potest vetus proverbium:
qualis chylus, talis sanguis, & ex allatis jam satis pa-
tet, bile non affluente & digerente, chylum perfici ne-
quire; quo deficiente sanguificationem cessaturam fo-
re

re omnem; hac vero sublata, ceu nutritione totius corporis, brevi totam destructum iri machinam: necessitatem præsentiae bilis unusquisque agnoscit.

Addimus alterum usum: cum canalis intestinorum ob nimiam longitudinem mirifice complicatus, hinc inde, nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum; & antrorsum & retrorsum; modo sursum, modo deorsum repit, promotio scybalorum per eundem valde retardata procederet, nisi bilis continuo stimulo irritaretur, celeriori cursu alvus foetido onere liberaretur; bile contra deficiente, alvus obstructa, varia, periculique plena symptomata excitat. Equidem non nego, experientia ipsa proh! causam dicente, per affectum iræ bilem irregulariter moveri, turbataque secretionem varios produci morbos, variaque symptomata seu effectus: sed injuste, ne dicam inepte in bilem culpam conferunt ii, qui corrigendi sunt potius a legibus, quam ut ab arte salutari medicamina petant; quibus vero diutius non immorabimur. Eo quoque respexit Dominus Doctorandus themate Dissertationis suæ inauguralis, multo ingenio atque industria elaboratæ, de cuius, ut omnibus medicinæ studiosis imitandum insignius apponamus exemplum, ingenuo, honestissimoque genere, christiana educatione, solertique ad studia applicatione sequentia proferemus.

NOBI.

NOBILISSIMVS ATQVE CLARISSIMVS
DOMINVS
CAROLVS CHRISTIAN. GVILIELMVS
IVCH.

Medicinæ Candidatus

Originem suam ad perantiquam, satque in arte salutari celebrem Juchiorum familiam refert. Proavus fuit Doct. PAVLVS JVCH, potentissimi quondam Sueciæ Regis, CAROLI GVSTAVI Medicus aulicus & castrensis postea Archiater Moguntinus. Avus fuit PAVLVS HENR. JVCH, Phil. & Med. Doctor, Archiater eminentissimi quondam Electoris Moguntini, LOTHARII FRANCISCI, & diversorum Saxoniae Ducum. Patrem veneratur GVILIELMVM JVCH, Phil. & Med. Doctorem, Serenissimorum quondam Saxoniae Ducum Weissenfelsensium, Vinarieusium & Isenacensium, Principumque Schwarzburgensium Archiatrum & a consiliis aulæ, L. I. Civit. Muhlhusi. Physicum, & collegii Medici, quod ibi est, Seniore. Matrem exosculatur MARIAM VICTORIAM, JO. HENRICI KELLNERI, Consilarii Serenissimi Ducis Hilburghusani, & judiciorum Hellburgensium Administratoris filiam. His parentibus natus est noster Muhlhusi ao. 1731. d. 25. April. A primis incubu-

nabulis formatione privata usus est, in iis, quæ ad bene esse pertinent. Adolefcens jam paulisper a Viro summe Reverendo CHR. WILH. VOLLANDO, Potent. Regis Magnæ Britann. a consiliis sanctioribus, Superintendente Muhlhusino, Theologo consummatissimo ipsi concessum fuit, ut pari, cum filiis Venerandi hujus Viri uteretur institutione; Auspiciis itaque tanti Viri nactus est præceptorem Dn. JO. GODOFR. THONIUM, jam Pastorem Eigenriedensem; hocce præeunte fundamenta religionis, ut & Latinæ, Græcæque linguæ excoluit, usque dum dignus haberetur, qui discipulis privatis Viri Prænobilissimi, Doctissimi que M. GODOFREDI BOETGERI Gymnasii patrii Rectoris meritissimi adnumerandus sit. Per aliquot annos cum hunc audivisset, ad altiora præparatus videbatur, ad Academiam Jenensem jussu parentis sese contulit, ibi in Illustris JO. PETR. REVSCHII hospitium datus, a philosophicis doctrinis studiorum initium fecit. Factum hoc est anno 1746. scepra tunc academica tenente Viro Magnifico CHRIST. HENR. ECKHARTO, J. U. D. & Eloquent. P. P. O. Audivit noster Illustr. REVSCHIVM Logica & metaphysica præcepta privatim & privatissime tractantem, ut & Theologiam revelatam erudito sermone illustrantem. In Physicis, Mathematicis & Mechanica ad corpus humanum habuit præceptorem Virum Illustrum & Excellentissimum GEORG. ERHARD.

HAM-

HAMBERGERVM, Phil. & Med. Doct. Sereniff. Saxoniae Ducum a consiliis aulae, jam Facultatis Medicæ Senior. Præcepta filii cultioris sub ductu D. JO. FR. GRVNERI, jam Gymnasii Academici Casimiriani, quod Coburgi est, excoluit.

Adgreditur dum noster studium medicum & auctores habuit D. JO. ADOLPHVM WEDELIVM jam beatum, commentationes in quasdam partes therapeuticas instituentem; porro Collegiis Semiotico-Pathologicis D. D. SIM. PAVLLI HILSCHERI, iam inter coelites triumphantis, se cum fructu interfuisse testatur. Totum vero, quem vocant artis nostræ cursum Illustris HAMBERGERI ductu absolvit; eundemque cadaver femininum artificiosa manu secantem vidit, demonstrantem audivit. Tandem & magnis extollit laudibus exquisitam industriam, quam adhibuit Illustr. Vir. CAROL. FRIDR. KALTSCHMIDIUS, sive in explananda chirurgia, sive in prælegenda Medicina legali. Eidem duo masculina cadavera secanti se adstitisse adfirmat.

Finito sic cursu academico jussu parentum ad patrios recessit lares, ut ductu patris ad praxin Clinicam animum adplicaret. Parens ipse prælectiones in Cel. JUNCKERI Conspectum theoretico-practicum filio instituit, eundemque secum ad ægrotorum duxit lectulos. Chymicas quoque operationes filii causa suscepit, quo factum est, ut & in hisce multa perspiceret.

Acqui-

Acquisitis itaque, quæ medica docet theoria, & annotatis, quæ clinica suppeditat praxis, æquum judicavimus, summos in arte salutari honores adspirantem ad consueta admittere examina, in quibus doctis responsionibus nostram adimplevit expectationem, quapropter ipsi, Doctorandi titulo collato, tradita fuit licentia, cathedram conscendendi, suamque Dissertationem inauguralem

DE

BILIS SECRETIONE

defendendi. Ad quem actum magnificentum Dominum Rectorem, Academiæ Proceres, Civesque omnium ordinum honoratissimos veneratione decente invitamus. Publ. Erfurti sub Sigillo Facult. d. 12. April. MDCCCL.



00 A 6328

ULB Halle


3


002 836 53X



Rho ✓







4

FACULTATIS MEDICAE
IN PERANTIQUA VNIVERSITATE HIERANA
DECANVS
D. HERM. PAVLVS
IVCH

SACRI PALATII CAESAREI COMES
FACVLT. MEDICAE SENIOR ET PATHOLOGIAE ATQVE PRAESES PROF.
PVBLICVS ET ASSESSOR PRIMARIVS
SERENISS. SAX. DVC. GOTHAN. ET VINARIENSIS CONSILIARIVS
AVLICVS ET ARCHIATER
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA

L. B. S. D.

ET
DE BILIS DIGNITATE
ET PRAESTANTIA

EIVSQVE
IN CORPORE HVMANO ORGANO
SECRETORIO

PAUCVLA DISSERENS
AD DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE
BILIS SECRETIONE

D. XVI. APRIL. A. C. HABENDAM
DECENTISSIME INVITAT.

ERFORDIAE

Typis Ioannis Christophori Heringii, Acad. Typogr.